QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. APRILIS,

M. PETRO PIIART, ANTIQVIORE MAGISTRO MODERATORE.

7,6

An lac recens, recenti puero, bonum?



OTVS homo ex natiuitate morbus. ἄφωνος, ἄλογος, ἄμυστος, κῶφος. An & vicissim à naturali ἀφωνία, κώφωσις? minimè. Actione turpi, eâdem & iucundâ seritur; loco fœdo germinat, copiosa vrina, quam per penem emittit, irrigatur, eique innatat: Non lacte, sed sanguine nequaquam menstruo, quantitate, & qualitate peccante, variolarum ac morbillorum parente, per decem menses, sine respiratione, sine voce, sine vagitu nutritur. Excluditur autem sine vlla ossium pubis distractione, facie ad podicem versa: sanus est, qui confestim ac solo exponitur, plorat eiulatu valido, ori digitum admouet, sensus & motus integros, meatus expeditos, membra & magnitudine & figurâ habet conuenientia.



VÆ omnia etsi præclara, suâ tamen ne careant θεραπείᾳ. Secandus quamprimum vmbilicus, quatuor à ventre digitis, non vitro, non καθαιρετικοῖς, sed obstetricum forficibus: sanguis grumosus exprimendus, incisura contortâ lanâ constringenda, corpus tepidâ abluendum, exprimendus narium lentor, expurgandi aurium & oris meatus, abstergendi oculi, recludendus anus, conuenienti loco constituendus puellus, fascijs deligandus. Irradiandum in os lac, maternum potiùs, quàm mercede emptum, aut caprillum. Dein sugendæ mammillæ, ad necessitatem feminis, viris ad robur & ornatum comparatæ: rara aut nulla pulticula; sæpius mutanda linteola; supinus decubitus vitandus, collo dorsóque incuruatis, è directo lux conspicienda, leuis æqualisque adsit cunarum motio, & vocis modulatio; denique maris citiùs quàm feminæ ablactatio procuranda.



ERVM cùm natura nihil temerè moliatur, sed omnia κατὰ τέλος perficiat, nulláque lactis ante ἀνθρωποτόκον videatur esse necessitas: Attamen virginibus, grauidis, puerperis, gestandi labore solutis, menstrualibus, mari, feminæ inesse posse, non denegamus. Sed illud omne tulit punctum quod alteratione absolutâ, & verâ mammarum coctione, eáque officiali, non priuatâ perficitur, quodque exquisitè album, dulce, moderatè crassum, & alendo infanti accommodatum cernitur. Quod stillat è nutrice hilari, mundâ, non mammosâ, non abortum passâ, quæ bis aut ter pepererit, quæque faciem habeat roseo colore perfusam. Cuius tamen lactis, quemadmodum & seminis, vt perfectissima est natura, ita vtriusque citissima ac teterrima corruptio. Annon & venenata qualitas?



AC pueris ἡγεμονικὸν medicamentum alterans, purgans, corroborans. Vernum, puerili ætati congruum: Optimum ex altrice fuscâ, iuuene, nouellâ, interdum elaterio sollicitatâ. Grauidarum pessimum, fluentibus menstruis cur deterius? Maternum ne explora, præsertim si maris partum exceperit. Asininum, caprillum, camelinum, annon & adultioribus morbosis commodum? Hecticos sanat, dysentericos iuuat, in ascite vtile, in melancholia quæ φυσῶδες νόσημα dicitur, fortunatum, morborum & febrium longarum cum aquis mineralibus tutum præsidium. Senibus, siticulosis, biliosis an noceat? Dubium; cùm vitæ longitudinem impertiatur, & veneno inescatos è libitinæ peculio euocet.



NFANTVLVS εἴσω καὶ ἔξω causarum morbificarum incómoda facillimè persentiscit, ob denegatam vtriusque coctionis excrementorum sudoris & fæcum exclusionem. Vixque ille gratiosum Solis lumen salutauit, cùm μηκώνιον virosum, sanguineum, nigrum, piceum, non χυλώδεος (quæ in fœtu otiatur, vt & animales, vitalésque actiones) sed αἱματώδεος excrementum per anum excernit. Nuper natos ab his iniurijs vindicabis, vt & à vocis interceptione ex alui astrictione nata, stertore ex pituitæ in ventriculo stagnantis collectione, conuulsione, aphthis, vomitu, tussi, vigilijs, ceterisque symptomatis, si in alimento medicamentum, in medicamento alimentum exhibueris, serosum, humidum, non copiosum, parumper biliosum, nonnullius acrimoniæ καὶ τῆς καθάρσεως particeps: Quale recens puerpera recenti puero glandibus γαλακτοποιητικοῖς lætissimè fundit.

Ergo lac recens, recenti puero, bonum. 162



Proponebat Lutetiæ NICOLAVS HELIOT, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXVIII.